

Jotius ordinis et regis Portugalliae ministro.  
Rev. Adm. P. M. Observ.

Cum alias felic. recor. Paulus PP. III indulserit ut qui fratres laici hujus Aracelitani conventus semel in die pro anima cujuscunque Christifidelis in purgatorio detenta recitarent unam coronam beatae Mariae Virginis ad capellam seu altare privilegiatum S. Helenae in hoc templo Aracelitano existens, adinstar sacerdotum in eodem altari celebrantium, pro eadem anima indulgentiam per modum suffragii, et a purgatorii poenis liberationem obtinerent: novissime supplicatum fuit sanctissimo domino N. Bened. XIII et ab ipso impetratum ut de eodem privilegio frui possint ii pariter sacerdotes qui ad altare SS. Sacramenti tertiam partem rosarii cum quinque *Pater* et *Ave*, ac totidem *Gloria Patri* recitabunt. Caeterum, cum ejusmodi concessio ad solos fratres hujus almi conventus arctari videretur, cumque de thesauro hujus indulgentiae seu privilegii fratres omnes ubique terrarum participare vehementissime cuperem, supplicem libellum porrexerunt Sanctitati Suae, quatenus super hac re mentem suam declarare, dictumque privilegium extendere dignaretur ad omnes personas utriusque sexus trium ordinum Sancti P. N. Francisci in claustris degentes, et reverendissimo P. ministro generali totius ordinis immediate subjectas, quae tertiam partem rosarii, ut praefertur, ac praeterea quinque *Pater* et *Ave*, cum totidem *Gloria Patri*, juxta mentem Sanctitatis Suae, ante aram in qua sanctissimum Eucharistiae sacramentum asservatur, vel (si fuerint rationabiliter impeditae) quocunque in loco ante aliquam crucifixi vel Deiparae imaginem recitarent, cui quidem supplicationi Sanctissimus Pater pro sua erga ordinem Seraphicum ejusque alumnos clementissima voluntate per rescriptum eminentissimi domini Nicolai Mariae cardinalis Lercari a secretis status Sanctitatis Suae, sub die nona Decembris hujus anni millesimi septingentesimi vigesimi noni, etiam annuere dignatus est. Hanc proinde concessionem redigi curabo in seriem indulgentiarum ordinis, de quibus a Sancta Sede specialis bulla in proximo emanabit. Verumtamen omittere non potui quin eam actu tum indicare. Paternitati Tuae adm. reverendae ut religiosissima pietas, quae in provincia tibi subdita maxime floret, singularem hunc dignationis apostolicae fructum statim percipiat, et animabus in purgatorio lugentibus tam insigne suffragium nullatenus retardetur; eandemque sollicitudinem meam Paternitati tuae adm. Rev. animi ad officia paratissimi testem exhibeo.

Romae ex Araceli, 21 Decemb. 1729.

Paternitatis Tuae Adm. Rev.

Promptissimus ex animo servus

FR. JOSEPH MARIA AB EBORA,  
Commiss. Gener. Curiae.

(71. Omnes tres ordines a S. P. N. Francisco instituti ultra supra recensitas, et alias

indulgentias sibi specialiter a Sede Apostolica concessas, gaudent etiam indulgentiis aliis regularibus concessis ex communicatione cum ipsis concessa a variis Summis Pontificibus, scilicet Sixto IV, Julio II, Leone X, et expresse a Clem. VII, die 30 Maii 1525, const. incip. *Cum fructus uberes*, quae bulla fuit confirmata a Paulo IV, Pio IV, S. Pio V, Greg. XIII, Sixto V, et aliis, specialiter a Clem. VIII die 20 Decembris 1593, constitut. incip. *Ratio Pastoralis Officii*, et novissime a Benedicto XIII, die 10 Decembris 1725, constit. incip. *Paterna Sedis Apostolicae*, in qua referuntur plures alii Summi Pontifices qui similes ei fecerunt concessionem, et ab eodem Benedicto XIII quinto nonas Aprilis 1727, Constitut. incip. *Summe decet*, ubi plurimae aliorum Summorum Pontificum referuntur constitutiones similes gratias et indulgentias eis concedentes.

(72. Caeteri etiam alii regulares gaudent, nedum indulgentiis sibi a variis Summis Pontificibus specialiter concessis, ut videre est in suis respective privilegiorum compendiis, sed etiam per viam communicationis gaudent indulgentiis nostrorum trium ordinum Seraphici Patris Francisci, et quorumcunque aliorum, ut patet apud Casarubios in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, et aliorum Mendicantium et non Mendicantium, verb. *Communicatio Privilegiorum*, et in aliis respective aliorum compendiis: et sic certa et communissima tum canonistarum tum theologorum.

(73. Communicatio autem indulgentiarum inter regulares sic debet intelligi. Primo, quod indulgentias omnes concessas ecclesiis unius ex ordinibus regularibus lucrari potest in ecclesia sui ordinis quivis alius regularis, nisi obstet aliqua specialissima ratio. Non tamen potest idcirco quilibet saecularis eadem lucrifacere in qualibet ecclesia alterius ordinis. Sic desumitur ex declaratione facta a Leone X in Constit. incip. *Dudum per Nos*, ubi, cum dixisset *illos plus sapere quam oportet*, qui, ex eo quod indulgentiae templis unius ordinis mendicantium imperitiae, essent communicatae templis aliorum ordinum mendicantium, inferebant saeculares posse in ecclesiis Praedicatorum, Minorum, etc., obtinere indulgentiam quam praedecessores ejus elargiti erant visitantibus ecclesiam B. Mariae Virginis de Populo de Urbe ad Augustinianos Eremitas spectantem. « Attendentes, inquit, quod indulgentia intuitu Religionis concessa ad saeculares extendi non debet, volentes mentem praedecessorum nostrorum et nostram declarare, volumus, et auctoritate apostolica declaramus quod universi et singuli dicatorum ordinum fratres, et moniales, etc., praedictis indulgentiis gaudeant, perinde ac si ipsi dictam domum B. Mariae de Populo personaliter visitarent; quodque vigore praedictarum litterarum saeculares indulgentiis hujusmodi gaudere non possint. » Sic Gobat tr. 4. de Indulgent., part. II, cap. 27, n. 265, Quin-

tanadvenas in Appendice ad sua singularia, tract. 4, dub. 14.

(74. Haec tamen indulgentiarum communicatio debet extendi ad indulgentias concessas pro singularibus festivitatibus hujus aut illius ordinis; unde, licet indulgentia Portionulae sit extensa ad omnes ecclesias trium Ordinum S. P. N. Francisci, non tamen censetur extensa ad ecclesias aliorum ordinum; Gobat loc. cit. num. 550, ubi dicit sic ex Casarubio notari in Compendio Privilegiorum suae undequaque dignissimae Societatis, verb. *Indulgentiae*, § 12; Reiff. lib. v. decr., tit. 33, § 3, n. 61; Kazenberger loc. cit., n. 85; Quintanadvenas l. cit., dub. 8; Peyrin, Lezana, et alii. Quapropter Lezana verb. *Indulgentia*, num. 8, censet praedictum communicationis privilegium intelligendum esse solum de indulgentiis quae in genere concessae sunt ecclesiis regularium, non autem de illis quae specialiter pro aliqua ecclesia in particulari datae sunt. Sic etiam Kazenb. l. c., n. 85; Gobat loc. cit., n. 1550; Reiff. l. c., n. 72, ubi dicit idipsum asserendum esse de privilegiis quae concessa fuerunt ob aliquam specialem rationem, ut quando indulgentia concessa est uni loco speciali, quia ibi est imago v. g. B. Virginis Mariae cum magna veneratione fidelium; nam haec est specialis ratio illius loci, qua alia loca carent. Idem pariter asserendum de altaribus privilegiatis ob specialem rationem talis altaris. Idem etiam dicendum de indulgentiis in honorem aliqujus sancti concessis ecclesiis, per tot vel tot annos; nam haec non communicantur aliis regularibus. Antonius de Spiritu sancto in director. Reg., tract. 1, disp. 1, sect. 3, n. 4; Donatus, part. 1, tom. I, tract. 7, q. 14 et 15; Reiffenstuel, loc. cit., n. 16; Kazenberger, loc. cit., n. 85, et, ipso teste, alii communiter; arg. cap. *Cum Cappella*, 16, de Privilegiis, ubi dicitur quod concessum uni ecclesiae vel provinciae seu loco, nequit trahi ad aliam ecclesiam seu provinciam vel locum.

(75. Secundo praedictum communicationis privilegium intelligendum est quod omnes indulgentiae concessae immediate et directe religiosi, vel eorum oblatis, parentibus, cognatis, procuratoribus; benefactoribus, servitoribus, et similibus personis ad aliquem ordinem spectantibus, intelligantur concessae etiam omnibus aliis similibus religiosi et personis ad alios ordines spectantibus. Sic declaravit et concessit Julius II, die 1 Junii 1509, Praedicatoribus et Fratribus Minoribus per sequentem constitutionem.

VENERABILIBUS FRATRIBUS SALAMANTINO, PACEN.  
ET CORDUBEN. EPISCOPIS, ET EORUM CUI-  
LIBET.

JULIUS PAPA II, ETC.

Alias ad supplicationem charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi regis, etc., et infra, quodque in praedicta privilegiorum, gratiarum, et indultorum praefatorum communicatione, tam universaliter per praede-

cessores nostros toti ordini Minorum, quam etiam per nos particulariter praedictorum regnorum fratribus facta, ea quae ad absolutionem, dispensationem, vel alias ad priorem, generalem, seu magistrum ordinis praedicatorum spectant, ad ministrum vel vicarium generalem Fratrum Minorum pertineant, et ea quae ad priores conventuales, id est praelatos singularum domorum ordinis Praedicatorum et eorum vicarios, similiter spectent ad guardianos et eorum vicarios ordinis Minorum, et ea quae ad priores seu vicarios, vel subpriores vicarios, id est praelatos, qui medii sunt, quocunque nomine censeantur et vocentur, inter dictum generalem seu magistrum ordinis, et priores conventuales eorumque vicarios, simili modo spectent ad ministros et vicarios provinciales, ac custodes, qui etiam medii sunt inter ministrum, et vicarium generalem, et guardianos, eorumque vicarios similiter pertineant, et sicut de potestate praelatorum, scilicet de praelatis ad praelatos dictum est, ita de congregatione unius ad congregationem alterius ordinis, et de Fratribus privatis, id est sine praelatura, ad fratres privatos; et de Festivitatibus ad festivitates, in his casibus in quibus congregationibus, vel fratribus privatis, aut festivitatibus unius ordinis aliquid conceditur congregationibus fratribus privatis, aut festivitatibus alterius ordinis, nunc et pro tempore respective concessa intelligantur. Ita quod ea quae in honorem sanctorum Dominici, Petri martyris, Thomae de Aquino, Catharinae de Senis, fratribus vel locis Praedicatorum sunt concessa, omnia illa fratribus Minoribus praefatis eorumque locis in festivitatibus sanctorum Francisci, Antonii, Ludovici, Bernardini, Bonaventurae, quinque Martyrum dicti ordinis qui apud Marochium martyrii coronam adepti sunt, S. Clarae, et in aliis festivitatibus dicti ordinis Minorum, licet sint in majori numero quam Festa ipsorum Fratrum Praedicatorum, sint, et intelligantur concessa ad tollendam quamcunque haesitationem, et inde forte ortum scrupulum, auctoritate, et tenore praefatis declaramus.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die prima Jun. 1509, pontificatus nostri anno sexto.

(76. Unde, ut vides, haec privilegiorum, et indulgentiarum communicatio non debet esse identica, materialis, sed analogica, formalis, hoc est similis, et fere eadem secundum quamdam proportionem et status decentiam; ita ut totum id quod est concessum generali Praedicatorum pro suo ordine, censeatur etiam concessum generali Minorum pro suo, et quibusvis aliis generalibus pro suis respective ordinibus; et totum id quod est concessum provincialibus Praedicatorum pro suis provinciis, censeatur concessum provincialibus Minorum et aliorum regularium pro suis respective provinciis; et totum id quod est concessum priori Praedicatorum pro suo prioratu, censeatur concessum guardiano Minorum pro suo guardianatu, et superiori locali cujuslibet alterius reli-

gionis pro suo locali superioratu; et totum id, quod est concessum religiosis subditis, in et pro suo ordine Prædicatorum, censeatur concessum religiosis subditis in et pro suo ordine Minorum, et sic de omnibus aliis; et ita pariter est discurrendum de festivitibus ad festivitates, et de indulgentiis ad indulgentias: ita ut festivitates sint respective pares in honore et dignitate in quolibet ordine, et, quemadmodum laicus visitans nostras ecclesias tempore festivitatum nostrorum sanctorum consequitur indulgentiam nostris ecclesiis concessam pro tali vel tali festivitate nostri alicujus sancti; ita a pari laicus visitans ecclesias aliorum regularium tempore festivitatum suorum respective sanctorum consequitur indulgentiam concessam pro tali vel tali festivitate sui alicujus respective sancti. Sic etiam, sicuti novitius suscipiens habitum nostræ religionis multa consequitur beneficia, et indulgentias lucratur; ita quilibet novitius suscipiens habitum cujuscunque alterius ordinis vel religionis; et sic proportionaliter est discurrendum de aliis indulgentiis, cum in generali communicatione veniant solum illæ quæ sunt communes et in genere ordinibus regularibus concessæ, non autem illæ quæ sunt propriæ et specificæ, ne eæ quæ raro conceduntur, et quæ quivis verisimiliter interrogatus non esset in specie concessurus: argum. cap. *In generali* 81, de regul. Juris in 6, cap. *Cum Capella* 16, de privilegiis, et cap., *Si propter*, X de Rescriptis in 6. Et sic tenent Donatus in praxi rerum Regular. tom. I, part. 1., tract. 7, quæst. 14 et 15, cum multis ibi citatis; Matthæucci Officialis Curia, cap. 26, num. 17; Kazenberger loc. cit., n. 85; Reiffenstuel lib. v decret., tit. 33, § 3, n. 61 et 62; Lezana loc. cit., num. 8; Quintanadvenas in Appendice ad sua singularia, tr. 4, dub. 9; Gobat. loc. cit., n. 550; Habsensis Summul. qq. Select. verb. *Privilegium*, num. 412, et alii passim. Et sic servat praxis, qua in dies videmus sæculares pro lucrandis indulgentiis in aliquibus sanctorum regularium festivitibus concessis, pergere ad illas regularium ecclesias pro quibus indulgentiæ sunt specificè concessæ, et non ad ecclesias aliorum regularium. Aliter enim ecclesiis quibus expresse indulgentiæ conceduntur minueretur devotio et ipsæ vilescerent indulgentiæ, ut notant Peyrinus, Lezana, Matthæucci, et alii.

(77. Fratibus Minoribus de Observantia vacantibus exercitiis spiritualibus per octiduum concessa est indulgentia plenaria ab Alexandro VII, Const. incip. *Cum sicut*. Vide supra art. n. 4, 9.

(78. Affertur novissimum privilegium pro missis celebratis pro animabus fratrum et monialium ordinis Minorum.

#### BENEDICTUS PAPA XIV, ETC.

Cum, sicut dilectus modernus procurator generalis ordinis fratrum Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, per constitutiones ordinis hujusmodi auctoritate apostolica confirmatas

in cujuscunque presbyteri, vel clerici, aut laici de Observantia supradicta, quam Reformatorum Excalceatorum, Recollectorum et Tertiiorum, ac monialium monasteriorum ordinis, et reformationum hujusmodi sub jurisdictione, cura, regimine, et gubernio, dilecti etiam filii ministri generalis totius ordinis hujusmodi existentium obitus vel aliis diebus aliquas missas unusquisque frater dictorum Ordinis et reformationum in sacro presbyteratus ordine constitutus celebrare debeat, ideoque procurator generalis missas hujusmodi cælestium munerum, quorum dispensationem fidei nostræ credidit Altissimus elargitione a nobis condecorari plurimum desideret: nos piis ejusdem procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes; eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, et quancunque sacerdos aliquis ordinis et reformationum prædictarum Missam, vel in die obitus præfatorum presbyterorum ac clericorum, et laicorum, nec non etiam monialium ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, ac reformationum hujusmodi sub regimine et gubernio præfati ministri generalis existentium, ac quoad moniales in earum respective ecclesiis sacerdos quoque quilibet sæcularis, vel alterius ordinis regularis, vel in alio die ad quodcunque altare ecclesiarum dictorum ordinis et Reformationum tam hactenus erectarum quam in posterum erigendarum pro illorum et illarum anima, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, missa hujusmodi animæ pro qua celebrabitur perinde suffragetur ac si ad altare privilegiatum celebrata fuisset, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus et indulgemus. Non obstante, quatenus opus sit, nostra et cancellariæ apostolicæ Regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque; præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earundem præsentium litterarum transumptis etiam impressis, manu et sigillo procuratoris generalis ordinis prædicti pro tempore existentis munitis eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 24 Martii 1716, pontificatus nostri anno primo.

(79. Indulgentia plenaria perpetua in festo sacrorum Stigmatum S. P. N. Francisci pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam eccle-

siam tam fratrum quam monialium nostro ministro generali immediate subjectarum devote visitaverint, ibique pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, piis ad Deum preces effuderint, concessa est a Clemente XII, die 30 Augusti 1734, Const. incip. *Cælestium munerum*.

(80. RESCRIPTUM san. mem. Bened. XIV quo visitantibus ecclesias Fratrum Minorum diebus festis S. Ludovici regis Francor. et S. Elisabeth reginæ Hungar. plenaria indulgentia conceditur.

#### BENEDICTUS XIV, ETC.

Injunctæ nobis divinitus apostolicæ servitutis ratio postulat ut cælestium munerum thesaurus dispensationi nostræ a Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris sanctorum cum Christo in cælis regnantium venerationem, excitandamque et fovendam erga illos fidelium devotionem, et animarum salutem procurandam, speramus in Domino profuturum. Supplicationibus itaque dilecti filii Caroli Mariæ a Perusio, commissarii generalis curiæ ord. Fratrum Minor. S. Francisci de Observ. nuncupator. nomine, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum dicti Ord. tam hactenus erectis quam in posterum quancunque erigendis, et ubicunque locorum existentibus in S. Ludovici Francorum regis, ac S. Elisabeth reginæ Hungariæ natae festis diebus, a primis vesp. usque ad occasum solis dierum hujusmodi, singulis annis, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. M. Ecclesiæ exaltatione, piis ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam; monialibus vero supradicti Ordinis sub cura, regimine, et administratione fratrum præfatorum existentibus, et aliis in eorum quolibet monasterio nunc et pro tempore degentibus, vere pariter pœnitentibus, et confessis, ac sacra commun. refectis, quæ suam respective ecclesiam in suprad. diebus visitaverint, et, ut præfertur, ut supra oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 17 Maii 1755, pontificatus nostri anno decimo quinto.

(81. BREVE alterum SS. D. N. Benedicti Papæ XIV quo plura rescripta Sanctitatis Suae in favorem ordinis Minorum S. P. Francisci confirmantur.

#### BENEDICTUS PAPA XIV, ETC.

Cælestium munerum thesauros, quorum dispensationem tenuitati nostræ credidit

Altissimus, liberaliori manu elargiri non dubitamus ad levamen et solatium animarum Christifidelium quæ ex hac vita migrantes, in charitate Deo conjunctæ in purgatorio detinentur, ut quantocius ad sempiternam beatæ felicitatis stationem in cælis perducantur. Sane nobis alias humiliter oblatis fuerunt supplices libelli tenorum sequentium; ac primus quidem:

Beatissime Pater,

Frater Raphael a Lugagnano, ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci minister generalis, ad pedes S. V. humillime provolutus exponit qualiter san. mem. Bened. XIII sub die 14 Decembris 1725 dignatus fuit omnia altaria privilegiata quotidiana variis ecclesiis dicti ordinis in perpetuum jam concessa approbare et confirmare; iis ejusdem ordinis ecclesiis quæ tali privilegio quotidiano in perpetuum non gaudebant concessit illud, sed proportionate ad missarum numerum quæ in eis celebrantur. Pro quatuor feriis iis in quibus viginti; pro tribus in quibus quindecim; et sic gradatim. Cum autem, Beatissime Pater, comprobaverit experientia hoc minime sufficere ad satisfaciendum populorum devotioni et ex alia parte variæ quotidie insurgunt difficultates ex eo quod non semper idem missarum numerus in dictis ecclesiis celebretur nec celebrari valeat; ideo enixe S. V. supplicat orator ut prævia revocatione privilegii altarium pro determinatis hebdomadæ feriis, ut supra, per san. mem. Benedictum XIII concessi, dignetur cuilibet ecclesiæ fratrum oratoris jurisdictioni subjectæ altari privilegiato quotidiano perpetuo non decoratæ, unum concedere ab ordinariis locorum semel designandum, et hoc per rescriptum, seu aliter, ut S. V. bene visum fuerit, ut Deus, etc.

« Ex audientia Sanctissimi die 17 Decemb. 1748. Sanctissimus benigne annuit pro gratia juxta petita, pro missis tamen quæ a fratribus Minorum Sancti Francisci in altaribus per ordinarios respective designandis celebrabuntur; et voluit etiam gratiam hujusmodi per hoc præsens rescriptum perinde valere ac si per apostolicas litteras in forma brevis solitis omnibus muniti clausulis expedita fuisset. »

Joseph Levizzani Secretarius.

Alter vero.

Beatissime Pater,

Frater Carolus Maria Perusinus, commissarius generalis curiæ ordinis Minorum de Observantia, orator obsequentissimus, ad pedes Sanctitatis Vestræ humiliter provolutus, omni cum animi demissione exponit, qualiter san. mem. Bened. XIII, sub die 24 Aprilis anni 1725, indulsit omnibus fratribus infirmis, senibus, et imbecillibus ordinis Minorum Capuccinorum, qui propterea semper in valetudinario diversantur, in ejusque oratorio sacrum faciunt, suasque ad Deum preces effundunt, ut in eodem oratorio seu sacello lucrari possint singulas